
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Proterria quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

DECADIS II.

EXRCITATIO II.

De

# ORIGINE

## FORMARUM MATERIALIUM

Physiologico-Philosophica

*Disceptationis loco ad sententiarum collationem proposita*

In Gymnasio Gedanensi

*Præside*

HENRICO NICOLAI

Philosophiæ Professore publico

*Respondentis partes expediente*

JACOBO LOTICHIO Rigensi Liuono.

*Ad diem 29. Octobris S. N.*

In Auditorio Philosophorum

Horis ab 7. matutinis.

Gedani. Typographo GEORGIO RHETIO exscripta. ANNO 1636.

*Miscellaneorum*
# Decadis II. Exercitatio II.
# De Origine formarum materialium.

*Respondente* DANIELE REBESCHE Dantiscano Borusso. Ad 15. Octobr. S. N. Anno 1636.

I.

Quod Glauco *cuidam* Marino Plato *Philosophus, non intelligendi solùm sed & dicendi gravissimus author & magister* Ciceroni in oratore §. 1. *dictus contigisse narrat, memorante* Scherbio præfat. diss. con. Ramistas, *ei facto naufragio partes navigij alias fractas, alias amissas, alias undis miserè disjectas esse: adhæsisse contrà algam, conchilia, lapillos, aliaq; æstuantis freti purgamẽta: Id de homine post horribile primi lapsus scelus ejusq; scientiâ jure enunties, magnam ejus partem penitùs amissam esse, aliam miserè diffractam, totam mirum in modum hiantem & divulsam esse. Successisse pro scientiâ ignorantiam, pro judicio imbecillitatem, pro prudentiâ stuporem. Non solùm quævis sciendarum rerum objecta manifestò id suggerunt, in quibus de nesciendo magis profiteri habemus, quàm sciendo: sed inprimis, quæ* de rerum formis *agitatur apud Philosophos disceptatio, Bacidis quodam Oraculo verius esse commonstrat. Adeò nobis nulla forma planè pleneq; est cognita, ut nonnisi per* περιστάσεις *innotescat: nec lapidis, qui quotidiè oculis obversatur, formam nominare queamus, querente* Scaligero ex. 307. s. 12. *Sed sicut vulpes elusa à ciconiâ vitreum vas lambere cogamur, pul-*

*tem non attingamus*, *dicente* eodem ſ. 21. *Quam eandem querelam* ex. 101. ſ. 14. *texit*, *cumq́ eo* Fracaſtorius *ap:* D. Sennert. d. Chym. conſ. c. 10. *Id cum de rerum formis ita ſe habeat, de origine earum non minus verisſimum eſt. Adeò illa latens & abſtruſa delitescit, ut quærentem fugiat magis & eludat, quàm apertâ cognitione perfundat. Veruntamen non unius generis formæ ſunt, ſed materiales aliæ, aliæ immateriales: neq́ origo earum omnis ad eundem modum ſe habet. Ac* immaterialium *ortum ſequentibus discusſionibus relicturi, jam quid de materialium vel ſenſerint antiqui, vel ſentiri quàm veriſimilimè queat, planiùs perfectiusq́ indagaturi ſumus.*

2. *Eſſe* materialium rërum formas *operationes, effecta & proprietates docent, quas à formis rerum oriri Philoſophi conſentiunt. Cum materiæ, ut entis ignavi torpidiq́ multum actionis eſſe communiter negent. Vocamus autem hic* formam actum ſubſtantialem, perficientem materiam & compoſitum, & in certâ ſpecie totius conſtituentē. *Hæ* quî in ſuis ſubjectis oriantur *& exſiſtere incipiant, variantibus ſententijs mirè inter ſe diſceptant Philoſophi. Sic unde anima canis in fœtu canino exſurgat, leonis in leonino, auri in auro, argenti in argento, cypresſi in cypreſſo, heliotropij in heliotropio, & ſic conſequenter, quæſiti & ventilationis eſt.*

3. *Variæ circa hoc fuerunt* ſententiæ *& antiquorum & recentiorum, ut verè hic illud locum habeat:* horologia citiùs quàm Philoſophorum opiniones concordare. *In univerſum ſexdecim ſententias invenio. Ex veteribus* 1. Empedocles, Anaximander, *omnia eſſe unum dicebant. Et in materijs velut actu jacere rerum formas, ſed ſopitas in gremio quaſi ejus, ſegregatione quadā agentis excitari, & ſic prodire, apud* Ariſtot. l. 1. Phyſ. c. 4. t. 32. 33. *Unde generari res Anaxagoras dicebat eſſe ex admisſione & confuſione aliarum ſegrega-*

*tas*

*tas manifestari & in lucem proferri. Quomodo in alimento carnem, venas, ossa, nervos, sanguinem præfuisse videamus, sed admista & confusa: per accretionem secerni & animantium partibus adglutinari.* V. Pererium l. 4. d. Phil. c. 8. 2. Plato *in Phædone formas ex idearum separatarum fonte, qui Deus est, in materiæ conceptaculum influere docuit.* 3. Avicenna *intelligentiam aliquam postremam posuit, quam suâ linguâ* Cholchodeam *nominavit, quæ naturalium rerum formas in materiam ab agente naturali dispositam inderet, sicq́ formarum conciliatrix esset*, ap. Ursinum p. 2. qu. illustr. d. 8. q. 2. & Hesselbein. theo. Log. c. 4. q. 4. 4. Democritus & Leucippus *ex vacuo & pleno omnia oriri dicebant, uti ex atomorum fortuitis per inane concursationibus & conjunctionibus mundum omnesq́ ejus res deducebant. Hi formarum origines haud dubiè ad easdem concursationes retulerunt. Conf.* Perer. c. l. c. 9. Ragusejum dis. Perip. 16. c. 1. 5. Pythagoras & Socrates *ex universali quadam mundi animâ, quæ innumeris quodammodò formis gravidata esset, quas ipsa vectore spiritu in hæc inferiora, materiâ satis præparatâ, immitteret, formas deduxerunt, ap.* Ragusej. c. l. 6. Alij *à cælo astrisq́ formas deducunt, quorum virtute origo formarum in materijs existat.* Fernelius l. 1. d. abd. rer. caus. c. 8. 9. 10. *& eum secutus* Ragusejus c. l. c. 17. 7. Alberto M. *quidam tribuunt, ut* Soto *ap.* Suarium d. 15. Metap. s. 2. n. 3. Javellus l. 7. Metap: q: 13. *quòd formas in habitu quodam confuso materiæ distincto à materiâ præexistere existimaverit, sed in esse imperfecto, cum aptitudine ad esse perfectum, quæ velut privatio ad formam dici possit, non quasi negatio formæ sit, sed ipsa forma cum negatione esse perfecti.* Soncinas *tamen ap.* Suaretzium c. l. *negat Albertum M. id sensisse, unde Suarius ita illum explicat, ut per habitum confusum nil aliud nisi esse*

*potentiale in materiâ intellexerit, quod non fiat ab agente naturali, sed præsupponatur in materiâ.* 8. Aliorum *narrat sententiam* Durandus *ap. eundem* n. 4. *qui formas ex possibilitatibus quibusdam materiæ deduxerint, quæ in formas convertantur.* Aureolo *tribuit* Soto *ibidem, quod formas præesse dixerit in materiâ secundùm partes, ex quâ per actionem agentis perficiantur. Negat tamen* Suaretz, *eam opinionem apud ullum authorẽ reperiri.* 9. Antiqui Philosophi *apud eundẽ* n. 2. *in totum negârunt formas substantiales, & omnia fieri per solam accidentiũ mutationẽ dixerunt. Quidã eorum formas substãtiales elementis negaverunt, ut* s. 1. n. 4. *ex Aristotele deducit. Ex neotericis formas in totum negat* Gorlæus ex. 14. Phil: *Ex quo meritò quæras, annon animam rationalem hominis formam credat, de cujus ortu tàm sollicitè disputat* ex. 18. 10. *Quidam omnes formas substantiales accidentia esse pugnant, ut* Patrit: T. 4. disc. Perip. l. 3. f. 385. *Illi formas per alterationes accidentium esse docebunt.* 11. Alij *formam quandam corporeitatis materiæ primæ coævam introduxerunt, quæ sit initium & inchoatio omnium formarum in composito generando. Quam sententiam* Averroi *tribuere solent,* V. Perer. l. 5. d. nat: c. 14. *sed ejus non esse ostendit idem* c. 15. 12. Alij *ex elementorum congressu, harmonicâ contemperatione, & qualitatum temperie formas materiales deducunt, ut* Magirus l. 1. Phys. c. 2. lit. f. alijq; ap. Cl. I. M. C. 1. d. 7. q. 6. Petræum d. 17. Chymicâ Hartmanni th. 12. 13. Alij *de re hac sciendâ prorsus desperârunt, ut* Galenus l. de form. fœt. *Qui magno studio hac de re inquisiisse se fatetur, sed nihil certi apud Philosophos cognoscere potuisse, nec se firmiorem super eâ sententiam reperire potuisse.* 14. Alij *ex nihilo & creatione substantiales formas oriri censent, ut* Philoponus & Bodinus ap. Cl. I. Mart: l. 1. part: Meta: s. 8. q. 3. Picolomin. l. 1. d. creat: c. 7.

c. 7. ap. D. Sennertum l. 1. Phys. c. 3. p. 52. Ramus l. 7. Sch. Meta. c. 7. 8. 9. l. 8. c. 3. 4. 5. l. 12. c. 1. 2. 3. Bodin. in Th. nat. l. 1. p. 53. *plures sæpè causas ad corporis Physici generationem concurrere ait, cœlestia, elementa, mentes abjunctas, & vim seminalem, omnibus rebus insitam. Ex recentioribus* Gorlæus ex: Phil. 18. s. 1. *animas sentientes & rationales à Deo creari statuit: de vegetante nondum sibi constare ait. At de eadem argumentum ipsius pro sentiente adductum procedit.* 15. Alij *formas materiales actu primo in potestate suarum materiarum & seminum esse statuunt, unde ab agente excitatæ emergant & eruant sese, producantq́ in lucem, & causæ omnium operationum in semine sint, viresq́ suas exerant & exerceant, & sic domicilium sibi aptum fabricent, quod postea occupent & inhabitent. Idq́ vi divini mandati,* Gen: 1. v. 11. 12. 22. 28. *Crescite & multiplicamini, sic peragi: Esseq́ potiùs emersionem formarum, quàm eductionem. Ita omnes formas se multiplicare per divisionem & translationem ad fabricam novi individui sibi similis.* Ita Scalig. ex 6. s. 2. 5. 7. Ursinus p. 2. qu. illustr: d. 8. q. 2. Hesselbein. Th. Log. c. l. D. Sennertus l. 1. instit. Med. cap. 10. l. de Chym. & Gal. cons: c. 9. & 12. l. 1. Phys. c. 3. p. 57. *& ejus hyperaspistes* M. Sperlingius tr. d. orig. form. th. 4. p. 10. 11. D. Hofman. tr. de orig. form: p. 127. 128. Alstedius in Phys. Peripat: c. 8. Pet: Severinus in id. Medic. Phil. c. 8. Petræus d. 17. Chym. c. l. t. 75. 76. 77. *Ubi* Aristotelem t. 74. *Augustinum* t. 82. *Patritium & Quercetanum* t. 83. *pro hac sententiâ allegat. Huc illi pertinent, qui formas in suis seminiis secundum esse reale, sed imperfectum latere arbitrantur, & sic inde educi,* ap. Rugusejum c. l. c. 4. & 6. 16. Alij *deniq́ formas materiales potestate in suis materiis latere ajunt, ex quâ accedentibus agentibus alysq́ requisitis & obstaculis*

amotis

*amotis suo tempore educi & quasi exciri & erui possint, ita ut de gremio materiæ excitæ ad actum & perfectionem adducantur, & extra materiam nec fieri, nec esse, nec consistere possint. Ita* Aristoteles *variis in locis* th: 13. *citandis.* Mercenar. in diluc. Peripat: p. 313. Picolomin, l. 1. de creat. c. 5. & Vicomercat: l. 2. d. prin: nat: c. 9. ap. Ursinum c. l. Cl. I. Mart. C. 1. d. 7. qu. illust. q. 6. & C. 4. d. 9. q. 4. Thomas p. 1. q. 90. art: 2. Cajetan. in eundem locum. Suaretz: d. 15. Meta. s. 2. n. 13. Pererius l. 5. Phil. c. 8. 22. Fonsec. in 5. Meta: c. 2. q. 4. s. 2. Casus in l. 1. Phy: c. 8. & 9. q: 10. & epitome in l. 8. Phy: Arist: c. 4. Danhauer. Colle: Psychol. d. 1. q. 4. Ragusejus c. l. c. 15. Toletus in 1. Phys. c. 9. q. 19. & 1. de gen. c. 3. q: 2. Ruvius in 1. Phys. tr. 2. q. 1. Zanchius de oper. 6. dier. p. 3. l. 2. c. 2. q. 1. D. Freitagius dis. 1. cont. Sennert. th. 54. 56. d. 2. t. 31. & disp. de morb. substa. th. 18. Eustachius à S. Paulo p. 3. sum: Phil: tr. 1. q. 6. disp. 2. Javellus 7. Meta. q. 4. Masius in 1. Phys. c. 9. q 8. Arriaga d. 3. Phy. s. 4. n. 29. 30. Mendoza d. 4. Phys. s. 2. n. 11. Conimbric. in 1. Phy. c. 9. q. 12. a. 4. 5. *Ubi &* Scotum, Durandum *aliosq; pro hac sententiâ allegant.* Zabarella l. d. ment. hum. c. 9. Vallesius d. sac. Phil: c. 1. p. 45. Bellarm: l. 4. de amis: grat: c. 11. Raconis d. 2. Phys. s. 3. q. 2. a. 2. *Hoc si sensit* Bacconitanus *per esse suum reale potentiale, per quod formam in materiâ actu essentiæ, non existentiæ esse dixit, ut de eo refert* Ragusejus c. l. c. 9. *verissimè sensit, quanquam incommodiùs locutus videatur.*

4. *Antequam quid de his sententiis habendum, aut quæ maximè inter eas probabilis censenda, dicatur, præmittenda sunt quædam, quæ* aut in controversiam non veniunt, aut lucem aliquam toti materiæ *veroq; indagando inferre possunt. Ergò* 1. non *quæritur de origine formæ immaterialis s. rationalis*

*nalis ex materiâ, nam huic talem originem non competere essentia, operationes & immortalitas ejus evincunt, ostendetq́; sequens disceptatio.* 2. Non *quæritur de origine formarum artificialium, quæ ab artifice, ejusq́; operatione ab extra inducuntur in materiam, non ab intra educuntur. Sic forma statuæ inducitur in lignum à statuario, vestimenti in pannum à sartore. Quasdam* Aristot: *velut à materiâ sine externo agente educi ait, ut sanitatem à calore animali nullâ adhibitâ arte.*l.6.Met: c.9. *sed hoc per accidens est, & sunt formæ accidentales, de quibus hic non est quæstio.* 3. Non *quæritur, an origines formarum sint* à Deo, *ut causâ primâ & generali:* vel à cœlo, *ut causâ adjuvante & influente remotâ, fovente, externâ, communi, promovente,* vel à naturâ, *ut generali Dei in rebus creatis potestate. Nam hæc concedi possunt.* Deus *est author formarum* 1. *quia omnes in creatione materiis concreavit.* 2. *quia vim seminalem omnibus indidit, quâ se postea in orbe propagarent.* 3. *Quia generalem concursum ad omnem sublunarium operationem, generationem & effectionem præstat, & naturam in operando conservat.* Cœlum *formarum author dici potest.* 1. Ratione *generalis influxus, quo & universaliter & particulariter concurrit, ut omne, quod fit in sublunarib⁹, cœlo egeat, ut fiat, sit, & naturam suam tueatur. Hinc* sol & homo *dicuntur generare hominem.* 2. Phy. c. 2. t. 26. 12. Met. c. 4. *& cœlum ac solem genitoris in sublunaribus patrisq́; nomine appellasse veteres dicitur* 1. d. gen. anim. c. 2. 2. ratione *specialis cujusdam eductionis, quando formam ranæ è luto, muris è quisquiliis, scarabæi ex stercore beneficio virtutis solaris educit.* V. Arist. l. 5. de histor. anim. c. 19. *In his causa æquivoca talium animalium dicitur, solitaria, & proxima.* 3. ratione *generalis adjumenti, quod in pluribus operationibus naturæ sublunari præstat. Sic tempore verno & æstivo major aptitu-*

*aptitudo est in rebus educendi formas animalium, plantarum beneficio & clementiâ cæli, quàm hyemali, ubi omnia rigent, & velut emortua esse videntur.* 4. ratione *modi productionis formarum, qui verè in naturæ regno cœlestis, i. e. divinus, eximius & admirabilis dici potest. Unde* Toletus *mirabilem virtutē materiæ esse ait, ex cujus potentiâ educantur, quæ actu non sint, in* 1. d. gen. c. l. *Et* Fernel. 1. d. abd. rer. caus. c. 9. 10. *ex Aristotele, Platone, Virgilio, Theophrasto, aliisq́; adducit, quomodo divinam vim seminibus inesse agnoverint, cujus vi emergant universa. Sic* Ragusei: c. l. c. 17. *formæ substantialis originem divinam penitùs & cœlestem vocat.* Scotus 2. sent. d. 18. q. 1. lit. i. *rationes seminales vocat divinas.* Zabarella l. d. cal. cœl. c. 11. *ignem ejusq́; calorem animal generare non posse ait, sed cœlum & virtutem vitalem cœlo proportione respondentē posse per calorem animal generare. Hunc cælestem, divinum, proportione elemento stellarū respondentem, animalem esse.* Natura *est author formarum.* 1. Quia *illa est ordinaria Dei vis & potestas rebus indita, cujus facultate se promovent & adaugent.* 2. Quia *intra ejus regnum & circulum origo formarum peragitur.* 3. Quia *ejus scopo, fini & facultati conveniens est, non ab eâ abludit, vel ejus universam potestatem transcendit.*

*5. Nec 4. quæritur, annon Deus potuerit singulis materiis suas formas concreare, ut concreando subjectis composita generata esse dicantur. Hoc enim nemo negabit. Nec 5. annon generanti origo formarum sit adscribenda, tanquam agenti proximo, immediato & ultimato. Hoc enim negari in totum non potest, nisi leonem generare leonem, canem canem, equum equū, plantam aliam suæ speciei plantam velis, quod contra sensum & communem experientiam erit, cui nemo sanus bellum indicit. Generans univocum & materiam & formam genito suppeditat*

*ditat, secus non propriè generans dicitur: sed de modo est quæstio, an ita suppeditet, ut materia simùl & forma actu in semine contineatur? Hoc negatur. Et hoc intendunt Philosophi, quando negant, à progenitore animam dari, ut* Ragusej. c. 1. c. 16. *Volunt enim, non esse actu ipso animam in semine, v. g. canino, equino, cum semen in matricem suam jaculatur equus aut canis, sed potentiam ad formam recipiendam, ut ipse se explicat. Nec 6. De origine formarum accidentalium vel cælestium hic quæritur, unde hæ emergant, ut quantitates, qualitates, actiones, relationes, quandoitates, ubicationes & similia in subjectis. Hæc enim sequi sua composita constituta certum est, ut formam canis in materiâ legitimâ conjunctam sequitur vis latrandi, odorandi, movendi, ambulandi, &c. ubi organorum apparatus ad operationes edendas idoneus fuerit. De his enim verum est illud:* Dans formã dat consequentia formam. *Et s. per eductionem è potestate formarum hæ fiant, sive quædam per eductionem è potestate materiarum, vel potius totum compositum velut per naturalem resultantiam comitentur, perinde jam est. Non illud ad quæsitum pertinet. Non fit qualitas, sed quale lignum, nec quantitas, sed quantum lignum aut animal, ait Aristot:* 6. Meta. c. 9. *Cælestes formas, ut solis, Iovis, &c. creatas à Deo esse ex scripturâ novimus. Nec 7. quæritur de* qualitatibus supernaturalibus, *ut fide, spe, amore Dei, an educantur de potestate subjectorum, quod negant* Conimbric: c. 1. a. 5. 7. *affirmat* Arriaga c. 1. n. 38. *& res distinctione vocis componi posse videtur: Nec 8. educi de potestate materiæ ita est explicandum, ut aliquod esse reale actuale intelligatur, quo reverâ in materijs sint formæ, ex quibus accedente agente per virtutem quandam activam in materiâ existentem, quæ ut causa efficiens ad educendam formam eo modo concurrat quo Spiritus in semine ad educendam animam concurrit,*

*currit, educantur, ut quosdam explicuisse author est* Ragusejus c.l.c.3. vel *ut formarũ inchoationes actu in materiâ esse intelligantur, quæ incompletæ formæ vel quasi partes formæ sint, & à generante perficiantur :* vel *ut eductio formæ sit præparatio materiæ ad formam recipiendam, ut* Fernel: c. l. c.5. *vult, Quem rectè refutat* Scaliger ex. 6. f. 5. *præparatio enim est antecedens eductionis formæ, non ipsa eductio: fit successivè & per partes, & est imperfecta: At ipsa eductio consequens præparationis est, simul tota fit, una est, unoq́ momento completa & perfecta:* vel *ut eductio formæ de potentiâ materiæ sit velut eductio actus de habitu, quomodo hanc rem explicant* Fernel. c.l.& Raguseius c.15. *Hoc n: nisi valdè determinetur, credibile vix erit. Actus enim cujusq́ habitus est transiens quid, & potest habitus in suâ perfectione completâ esse sine actu: Forma substantialis & permanens quid est, nec potest materia in actu cõpleto sine eâ esse:* vel *ut educi sit generari ex materiâ ut parte cõponente, sic n. forma non simplex quidã actus, sed compositũ & materiatum quid esset :* Sed *educi formam de potentiâ materiæ est incipere esse actu ex aliquo & in aliquo, præmissis sufficientibus præparationibus, alterationibus, elaborationibus, & repulsis impedimentis, cum antea in potentiâ saltem istius rei fuisset, quæ naturalem capacitatem & facultatem ad id, quod actu est, obtinuit, ordinante ita primo motore, concurrente, vim propagativam seminibus rerum inserente, & porrò promovente. Sic cum in ovo pulli forma potentiâ latet, & mediantibus variis alterationibus â gallinâ ovo incubante ortis tandem in illud introducitur, dicitur è potestate ovi educta esse. Hæc est illa eductio, quam Aristoteles & Aristotelei de formis tenent.* Pererius l. 5. d. Phil. c.22. *quinq́ ad eam requirit. Vt formæ tales per actiones & dispositiones materiales producantur : pendeant in fieri à materiâ, & extra eam produci or-*

*ei ordinario naturæ processu nequeant: & in esse, ita ut vel sine eâ, vel in alienâ subsistere non possint: operationes materiales habeant, materiam sequentes, & potius composito quàm formæ insint: à materiâ quidditativè pendeant, ut sine respectu ad eam distinctè & sufficienter cognosci nequeant.* D. Freitagius dis. 2. c. Sennert. t. 58. *tria requirit: Vt tales formæ nunquam sint in actu, nisi cum corporis sunt actus: Vt non sint id, quod operentur, sed id, quo compositum operetur: Vt sint limitatæ & extensæ ad extensionem subjectorũ, à quibus ut fundamentis sustentantibus dependeant. Omnia hæc rectissimè, quæ ex* Zanchio p.3.d.oper.6.dier.l.2.c. 2. q. 1. *desumpsit. 9. Si actu primo formas inesse materiis ita explices, ut actus primus notet potentiam remotam, ad potentiam propinquam, qui sit actus secundus, ut* Scalig.ex.6.s.5. *loquitur, & quomodo actus secundus potentia prima & proxima dicitur sapientibus, actus primus potentia remota, secunda & inchoata, ut idem ait* ex.307. s.16. *Vel ut actu inesse sit idem ac reverâ, non fictè inesse: Ita formas materiales inesse materiis actu primo dici potest, i.e. potentiâ remotâ & inchoatâ reverâ citra fictionem mentis: non si actum primum pro esse reali, actuali, perfectione primâ & consummatione rei sumas, cui actus secundus tanquam actualis perfectionis exsertio postponatur, ita negamus formas seminibus actu primo inesse, Et quod intendere Authores 15. sententiæ omninò videntur.*

6. *Hoc priusquam probemus, ostendemus primò, quid* singulis sententiis *vel veri vel falsi subsit, aut quomodo earum aliquæ ad commodum sensum trahi possint.* I. Sententiæ, *quæ Anaxagoræ & aliorum, hæc opponimus.* 1. Nullum *principium simplex potest actu disparatas res in se habere. Foret enim valdè monstrosum principium, ex diversissimus rebus conflatum. Materia est principium simplex, ut patet ex compositione*

 *rerum*

*rerum, ex materiâ & formâ compositarum: Formæ autem sunt disparatissimæ res, ut leonina, asinina, murina, scarabæica, &c. E. nequit disparatas formas actu in se habere. Haberet autem si Anaxagoræ sententia esset vera.* 2. Tollit *hæc sententia omnem generationem & mutationem Physicam. Generatio enim Physica est ab ente in potentiâ ad ens in actu mutatio, à non formato ad formatum processio. At si omnia sunt unum, & segregatione saltem distinguuntur, non est progressus ab ente in potentiâ ad ens actu, sed ab eodem actu & reverâ inexistente ad diversos saltem inexistendi modos, occultum & manifestum. Ergò. &c. Pluribus hanc sententiam Aristoteles refutat* 1. Phys: c. 4. II. Sententia *Platonis commodè explicari potest, ut* th. 4. *dictum. Si de agente particulari, vel ideis à singularibus abstractis intelligatur, falsa est. Omne enim naturale vocatur tale à causâ proximâ naturali & particulari, non primâ, supernaturali & universali, qualis Deus. At formæ materiales dicuntur tales, v. g. asininæ, leoninæ, murinæ; E. à quodam agente proximo & particulari, non universali, quale Deus. Ideas separatas satis refutavit Aristoteles* 1. Meta. c. 7. *Hæ ut non sunt, ita nec naturalium causæ esse possunt.*

7. III. Sentẽtia *est nullius usus in Physicis. 1. Omne generans Physicum est generato simile.* 7. Meta. c. 7. 8. *Intelligentiæ non sunt similes, sed dissimiles, ut forma immaterialis composito materiato. E. nec generantia Physica. 2. Generans & generatum Physicum sunt unum specie. Intelligentiæ & composita materiata sunt diversarum specierum. Ergò.* IV. Sententia *Democriti & Leucippi absurda in Physicis est. Generans & generatum sunt similia, ejusdem speciei. Vacuum & plenum, & composita Physica non ita sunt. E. nec unum ab altero Physicè originem trahere potest. Nisi fortè* involucra verborum *illa sententia habeat, & aliud dixerint, aliud senserint isti Philosophi,*

*sophi. Quomodo sententia eorum concedi queat, de quo* Vid. Dn. Sennert. d. Chy. consf. c. 12. V. Socratis *& Pythagoræ etiam, nisi Metaphorica sit, in Physicis locum habere nequit. Nec mundus animam propriè dictam habet, nec si haberet, omnis generis formas suppeditare posset, nisi valdè disparatis formis illam animam velut distentam dixeris, quod incredibile, ut de Anaxagoræ sententiâ dictum.* th. 6. VI. Sententia Fernelij *& Ragusęij à cælo formas deducentium quî locum habere queat,* th. 4. *dictum. Si proxima formæ causæ cælum dicatur, sic impugnatur. 1. Nullum præstantius oritur ab ignobiliori, ut causâ proximâ, causam enim oportet præstantiorem esse effecto, nec ultra vires suas potest agere. Om. forma animata præstantior est cælo, tanquam inanimato. E. nulla ab eo ut proximo agente proficisci potest. 2. Quod ipsis mistis à Deo insertum in creatione, frustrà à cælo ut propinquâ causâ deducitur. At vis propagandi se, potestas seminalis & facultas formas materiales per potestatem materiæ communicandi ipsis mistis à creatore est insertum, etiam priusquam astra cum suis cursibus & influxibus crearentur.* Gen: 1. v. 11. 12. *Cum sol & astra pòst demum producerentur.* v. 14. 15. *Ergò frustrà hæc à cælo deducuntur. 3. Generans univocum & genitum conveniunt specie. Cælum cum animatis non. E. nec generans, nec formarum dator proximus esse potest. Secus omnis generatio foret æquivoca, nulla univoca.*

8. VII. Sent: Alberti M. *& dubia est, utrum reverâ ejus fuerit, & commodam habet explicationem, ut* th: 3. *ostensum, unde citra absurditatem admitti potest. Si per habitum confusum distinctum aliquid à materiâ intellexit, potest commodè de distinctione rationis, non rei explicari, quomodo natura generis à potestate, quâ differentias continet, ratione distinguitur, & quomodo sic distingui potestatem materiæ à materiâ* th: 15. *di-*

15. *dicetur.* VIII. Sent: *de possibilitatibus & partibus similiter incerta est, & commodè explicari potest, si possibilitas ipsa potestas materiæ dicatur, & pars rei efficiendæ ipsa aptitudo materiæ ad formam dicatur, quæ pars non formæ, sed totius compositi extructi est, ut explicat* Suaretz: c. l. n. 8. IX. in totum *negat formas substantiales. At operationes, gradus, signa & indicia, & analogia animæ rationalis eas esse sufficienter ostendunt. Probatq; satis* Aristot: 2. Phys. c. 1. t. 10. l. 1. d. part: an: c. 1. l. 2. c. 1. l. 12. Meta. c. 2. *& latè persequitur* Suaret: c. l. s. 1. *De rationibus adversis videbimus in discursu.* X. Formas *accidentia ait. Contrà:* 1. Si *formæ substantiales sunt accidentia, non datur Physica generatio & corruptio, hæc enim tendit ad substantiam, ut ultimum subjectum, non accidentia. At datur ea, nisi sensum negare velis. Ergò.* 2. Si *formæ accidentia, E. omnia composita naturalia erunt entia per accidens, nullum per se, nullum directè prædicamentale. Nam ubi substantia & accidens uniuntur, fit unum per accidens, quod directè in uno prædicamento non est. At posterius est absurdum, & totum fundamentum Logicum evertit. E. & prius. De rationibus Patritij in discursu.* XI. Formam *corporeitatis introducit. Contrà:* 1. Si *datur forma generalissima omni materiæ coæva, jam materia est composita, non simplex. Nam ubi materia & forma conjuncta, ibi est compositum. Sic non erit principium compositi, sed compositum, non causa, sed causatum. At est principium & simplex quid.* 2. Forma *producta compositi aut erit isti formæ generali similis aut dissimilis. Si hoc, est generatio æquivoca, non univoca. Si istud, ergò genericum & specificum erunt homogenea, cum tamen sint heterogenea. E. ab istâ formâ nequeunt formæ compositorum oriri.* 3. Nullum *ob finem & usum datur talis forma materiæ.* Vel *enim ob existentiam,* vel *quantitatem,* vel *appetitum,* vel *ob materiam*

*alia-*

*aliarum formarum ſpecificarum,* vel *ob motum dabitur. At ob nihil horum, omnia enim hæc vel à materiâ, vel formis ſpecificis provenire queunt, probante* Pererio l 5. Phil. c. 16. *E. fruſtrà in Phyſicis forma generalisſima ponitur.*

9. XII. Formarum *nobilitati non convenit.* 1. Ubi *operationes elementorum operationibus longè nobiliores, ibi ſubjectum ab elementis vel temperie qualitatum deduci nequit, ſed illis longè eſt nobilius. Operationes enim arguunt formam & eſſentiam. At in miſtis, animatis, & inanimatis longè nobiliores operationes elementaribus. Sic vivere, nutriri, augeri, generare, moveri animaliter, latrare, rugire, medicos uſus eximios præſtare, ut in metallis, gemmis, lapidibus, &c. videre eſt, quæ longè nobiliores elementorum qualitatibus. E fruſtrà formæ miſtorum ab elementis deducuntur.* 2. Si *ab elementis formæ, E. elementorum formæ plus poſſent corruptæ & refractæ, quàm integræ. Nam in animâ etiam contrariæ functiones & motus ſunt, ut motus ſurſum, deorſum, antrorſum, retrorſum, expellere, attrahere, concoquere, reſpuere, quæ non erant in ullo elemento. Poſterius non. E. nec prius.* Conf. Scal. ex. 307. ſ. 20. 12. XIII Deſperationem *invehit. Pro eâ ſummam obſcuritatem & difficultatem rei noſcendæ ponas, quæ in formis omni ex parte eſt agnoſcenda.* V. t. 1. *Chriſtianis ex Scripturâ creationis virtutem conſulentibus facilior evadet hujus rei inquiſitio, quàm gentibus, ſolo rationis lumine eam inveſtigantibus.* XIV. Ex *nihilo oriri ait. Contrà:* 1. *Per hoc tollitur generatio, quæ eſt ex aliquo potentiâ in aliquid actu, invehitur creatio, quæ ex nihilo, negativo, & ſolius Dei propria.* 2. Si *formæ ex nihilo, & in nihilum naturaliter redigi poterunt. At ab utroq; abhorret ſanior Philoſophia, vel ex nihilo aliquid fieri, vel in nihilum redigi poſſe. Diſſentiunt quidem* Taurell: p. 4. d. rer. ætern: p. 673. l. 3. in Cæſalp. q. 3.

n. 3.

n. 3. Gorlæus ex: Phil: 15. s. 1. 2. *Aliiq. Sed hoc alibi est disputandum. Si à Deo id fieri dices, extra quæsitum erit. Quæritur enim hic non de causâ supremâ & universali, sed secundâ & naturali, unde origo formæ exsurgat.* V. t. 4. *Et ubi causæ proximæ & Physicæ rei quæruntur, frustra ad Deum recurritur.* 3. *Possunt formæ dici ex nihilo oriri* sc: sui ipsius, *quia antequam oriantur, non existunt:* non *autem* præjacentis subjecti, *quasi ex nullo subjecto oriantur. Sic enim ex materiâ emergere incipiũt, quatenus potentiâ naturali ad eas recipiendas est instructa. Hæc productio ex nihilo & sui ipsi⁹ & præjacẽtis subjecti propriè est creatio, & in formis materialib⁹ locũ nõ habet.*

10. XV. Sententia *cum 16. hodiè de nobilitate & veritate certat. Nec utraq; claro fautorum numero destituitur, nec hic aliquid ut articulum fidei tenendum censeo.* Chymici *& Galenici quidam formas actu in materiis esse, & beneficio virtutis in creatione inditæ sese propagare, ut corpora propagant corpora, ajunt.* Peripatetici *potentiâ in illis esse sentiunt, ut* th. 3. *dictum. Videamus fundamenta pro hâc sententiâ; postea quid ad contraria reponi possit, visuri.* 1. Quomodo *se res habet in esse, ita & in fieri, ita, ut si esse sit materiale, corruptibile, creatum, & fieri sit tale. At forma materialis in esse se habet materialiter, i. e. extra materiam esse, subsistere, & operari nequit. E. & fieri tale erit, & consequenter ex materiâ ducetur, sicq; in potestate ejus delituit.* 2. Quidquid *fit vel generatur, vel creatur, vel incipit esse & educitur. Formæ materiales fiunt. E. vel generantur, quod totius compositi est, vel creantur, quod principio mundi factum, hodiè desiit creatio & successit generatio: vel incipiunt esse, i. e. educuntur, eruuntur, emergunt post sufficientes alterationes.* Dices: *datur quartum, vel* propagatur. *Sic formæ. R. Propagatio illa vel fit generatione, vel eductione, nullum hic tertium in materiali*

*li formâ. Non generatione, sic Species & composita propagantur. E. Eductione, quod principij est, quod formam vocamus, & id volunt Aristotelei.*

*11.* 3. Si *anima est actu primo in suo semine, aut est eadem anima, quæ generantis, aut diversa. Non eadem, sic n. generans suam animam amitteret & desineret esse vivum. Non diversa, sic n. duas animas specificas actu habuisset generans, & fuisset compositum duplex. Ajunt n. per divisionem separatas propagari formas à generantibus. At quod dividitur, id actu inest in illo, â quo dividitur. Imò cum fœtus numerosus prodit, ut in catellis & suibus interdum est, habuisset generans sex, 10. aut plures animas specificas in se, quas propagare potuisset, & sic ex pluribus formis compositum fuisset, i. e. verum monstrum fuisset.* Dices: 1. habuit *illam animam generans, sed virtute, quam semini immittit actu primo. R. Si non habuit actu primo, nec ita eam indere semini potest. Si virtute eam habuit, E. & id quod habet, semini confert, virtutem nempe ad suscipiendam formam, quod verissimum. Est enim semen vivum* potentiâ, virtute & efficaciâ: *quod tale actu fiet, ubi sufficientes dispositiones fuerint. Si actu primo & hanc animam habuit, jam duas animas actu primo habuit, & sic duplex formatum fuit.* 2. Unam *animam habuit, sed quæ plurium generationi suffecit, Et sic plures fœtus animare potuit. Ita dissentientes.* V. Scal. ex. 6. s. 10. *R. Anima una plurium suffecit generationi, i. e. potestatem plures animas è materiâ eliciendi habuit, Quod est verissimum. Hanc potestatem beneficio virtutis plasticæ semini inseruit, & sic quod habuit generans, communicavit. Habuit autem non decem animas, quot in fœtu numeroso sunt: sed unam, quæ potestatem plures ex materia apta educendi habuit. Illam ergò cum materiâ fœtui suppeditavit, ex eâ tot animæ pro fœtu oriri potuerunt: propriam sibi retinuit,*

*ne vivere desierit. Si principijs* Scaligeri *standum, sic concludam: Nihil est in principiato, quod non actu fuerit in ejus principijs.* Scalig. *ex.* 307. *s.* 20. *Et ita in hac ipsâ* Hesselbein: c. 1. *At plures animæ caninæ nunquam fuerunt actu in uno cane, sed una, quæ potestatem plures communicandi in materiâ habuit. E. nec plures actu in semine esse possunt.* 3. Habuit canis *multas animas, sed actu entitativo tantùm, non formativo, & sic compositum multiplex non inde constitutum fuit. R.* Anima specifica materialis *nusquam est actu, ubi non animet, i. e. actu formativo sit. Actus entitativus est potentia animæ materialis. De rationali animâ diversum est. Sic materiæ primæ conceditur actus entitativus â Philosophis cũ* Scoto, *quam tamen aliàs fatentur puram potentiam esse, non actum.*

*12.* 4. Si *formæ materiales sunt actu primo in seminibus, aut sunt in illis, cum adhuc in proprijs corporibus hærent, aut cum in commodam matricem sunt projecta. Sic anima canis, quæ actu primo dicitur in semine canino esse, vel in eo erit, cum adhuc semen in testibus canis est, vel cum in matricem canis fæminæ jactum. At neutrum dici potest.* Non prius, *sic enim 1. canis V. G. in suo composito propriam haberet animam, quæ sibi esse specificum largiretur, & in parte istius compositi 6. aut 10. actu animas, pro numero fœtus, qui indè nasceretur, quæ fœtui esse suppeditarent, & sic 11. animabus simul & semel gravis incederet. Quod cui fiet credibile?* Nec posterius, *sic enim matrix commoda demùm semen actu animatum faceret, quod in mare tantùm potentiâ tale fuisset, non primarium generans, quod mas est, qui primariò in generatione agit, fæmina secundariò. At hoc etiam nulli Physico erit credibile. Caret res difficultate, si in debito corpore semen potestate animatum statuatur.* 2. Quid esset, *si nullus ex isto semine fœtus sequeretur, an perirent tot animæ? aut si monstrum alius Speciei*

*inde gigneretur, degeneraret anima in disparatam prorsus speciem? Hoc de formis animalium perfectorum cogitare* ἄλογον *est.* 3. Quid *si in diversam matricem projiciatur, ut cum equus semen in Asinam projicit, ubi manebit anima seminis equini? An peribit, & succedit nova? At unde hæc, & qui tam celeriter induci potest? An à Matrice mutabitur? Ita matrix majoris erit efficaciæ, quàm ipsa actu forma, cui tot operationes in semine aliàs assignant Chymistæ, quod sui domicilij sit architecta. An in aliam speciem degenerabit, & fiet inde mulus, non equus? Et poterunt substantiales rerum perfectarum formæ essentialiter mutari per vim naturæ? Quicquid dixeris, incredibile erit. E. formæ materiales non sunt actu in suis seminibus, sed potestate.* 5. Probari *idem potest exemplo manifesto ovi gallinacei, ex quo incubante ei gallinâ competente tempore & sufficienter alterato educitur forma pulli. Illa forma ab efficiente producitur* vel *ex nihilo,* vel *ex suâ essentiâ, in qua actu præfuit,* vel *ex materiæ potentiâ, quam communicavit.* Non primum, *est enim supra vires naturalium agentium, ex nihilo aliquid facere: & æternæ veritatis principium Physicum est, ex nihilo naturaliter non posse fieri aliquid.* Conf. th. 9. Non secundum, *quia recurret eadem difficultas argumento 4. proposita: Ergò* tertium, *& latuit pulli forma in potentiâ materiæ, tanquam in proximo subjecto, Et sic res naturales sunt in potentiâ suarum causarum, antequam generantur, & causæ pulli fuerunt id in potentiâ naturali, quod pullus generatus est actu. Idem patet in exemplo nuclei, ex quo accedente commodâ matrice causisq́; suscitantibus excrescit arbor. Ubi arboris forma non potest dici actu fuisse in nucleo, sed potestate, è quâ beneficio agentium est educta.*

*13. 5. Accedit huic sententiæ ipse* Aristoteles *manifestè* l. 2. d. gen: an. c. 1. *Ubi modum generationis docere vult, quomodo*

modo ex semine res generentur: generaliter asseverat, omnia, quæcunq; aut naturâ, aut arte efficiuntur, ab eo, quod actu est, fieri ex eo, quod potentiâ tale est. Quod ter in eodem cap. repetit. Postea dura, mollia, lenta, rigida & similia à calore & frigiditate effici posse ait: Rationem, quà aliquid caro aut os sit, non posse: Sed à motu hoc effici, proficiscente ab eo, quod genuit, quodq; actu est illud, quod potentiâ erat id, ex quo gignebatur. Quomodo in ijs quoq; agatur, quæ arte efficiuntur. Paulò post quærit, habeatne semen animam, nec ne? Respondet, nullam animam posse esse nisi in eo, cujus est: sed semen & habere animam & potentiâ esse palàm esse. Cap. 3. expressissimè decidit, animam vegetalem in seminibus & conceptibus haberi potentiâ statuendum est, non actu, quod idem de animâ sensuali pari modo dicendum ait. Quorum enim principiorum actio est corporea, hæc sine corpore inesse non posse certum est. Postea, de animâ inquit, quomodo conceptus & genitura habeant eam, & quomodo non habeant, definitum jam est: potentiâ enim habent; actu non habent. l. 9. Metaph. c. 8. iterum affirmat, semper ex eo, quod potentiâ est, fieri actu ens ab actu existente. Ibidem materiam potentiam esse ait, quia progredi possit ad speciem: cum verò actu sit, tunc in specie esse. l. 1. d. part. an. c. 1. semen non nisi potentiâ esse ait. Potentia autem quemadmodum ad actum se habeat, notum esse. l. 6. Meta. c. 9. semen facere sua, sicut ea quæ ab arte sunt, ait. Habet etenim potestate speciem, & à quo semen est, quodammodò univocum, sed si non læsura fuerit. l. 1. Phys. c. 9. t. 82. & 2. Phys. c. 3. t. 28. materiam definit primum subjectum uniuscujusq;, ex quo fiat aliquid, ita ut insit. Si inest, vel actu inest vel potentiâ. Non actu, sic enim materia jam esset composita, & principium esset compositum. E. potestate.

14. Excipiunt dissentientes ad hæc testimonia, ideò Ari-

sto-

*stotelem semen animatū potentiâ dicere, nō quod actu animam contineat, sed quod instrumentis expressis adhuc careat, quæ habeat in sua potestate, & per quæ tandem actus secundos exercere possit. Respectu operationū semen esse animatum potentiâ, non essentiæ animæ. Sed hæc rem non conficient. 1. Potentia nō actui secundo solùm opponitur, sed & primo, Imò magis huic quàm secundo. Est n. actus primus perfectio potentiæ, eiq́ opponitur, ut perfectum imperfecto, completum incompleto, perficiens perficiendo. Non ergò semen ita potentiâ animatū dicitur, ut simùl sit actu primo, nisi perficiendum simùl perfectū esse dicas. Nullus actus est potentia, inquit* Scalig. ex: 307. s. 20. 2. Aristoteles *non ait, organa esse in potentiâ materiæ, aut operationes, sed animam.* 3. *Ita in potentiâ ejus animam esse ait, ut neget esse actu, ut ex* c. 3. l. 2. d. gen: an: *ostensum est. At si de instrumentis tantùm intelligeret, concederet interim, reverâ actu primo animam semini inesse. At id negat.* 4. *Aristoteles sic in potentiâ animam esse ait, ut ab agente in actum demùm deduci & erui debeat, ut ex* c. 1. c. l. *patet. At quod à movente in actum deduci demum debet, non est actu primo in re, sed potestate saltem, propinquâ vel remotâ, actui primo oppositâ.* 5. *Sic ait animam esse in semine, ut figuræ artificiales sunt in corporibus artificiosis. At hæ nullâ ratione actu primo sunt in statuis, sed ab extra inducuntur, potestate recipiendi saltem in corpore subjecto existente. Ita formæ in materijs sunt non actu primo, sed potestate recipiendi: etsi in eo sit diversitas, quod in materiâ naturalis sit, in artificioso saltem obædientialis: è materiâ naturalibus alterationibus ipsa forma tandem educatur, in artificiosum per operationem artificis saltem inducatur: Materia cum propriâ formâ educta faciat unum compositum naturale & per se: Subjectum artificiosum cum figurâ artificiali unum præternaturale & per accidens.* 6. *Aristot: eo argumen-*

*men-*

*mento actû primum anima negat in semine, quod non habeat organa, quibus actum secundum exerceat, & sic* ex negatione actus secundi & organorum *procedit ad negationem actus primi. Ergò actum primum animæ in semine non concessit.*

*15.* *Ita* vera sententia *astructa sit: Videamus è potioribus rationes quasdam, quas Paracelsistæ, Galenici, & Philosophi quidam pro suâ sententiâ objicere solent, & modos solutionum subministremus.* Objicitur. I. Si *è potentiâ materiæ educuntur formæ substantiales, Ergo aut ex potentiâ universali vel particulari. At è neutrâ. Non universali, nam hæc generalissima & indifferens ad omnes in universum formas est, At formæ eductæ sunt determinatæ, V. G. caninæ, suillæ, bovinæ, equinæ, &c. Non particulari, nam hæc est accidens aliquod materiæ, forma substantia. Sed accidens non potest producere substantiam. E. formæ planè non educuntur, sed propagatione & divisione multiplicantur. R.* Major *insufficienter enumerat: addi potest* tertium, *aut ex universali potentiâ, quatenus particulari est determinata. Particularis potentia in materiâ particulari ad talem & talem formam non tollit universalem ad omnes formas, sed determinat saltem & restringit. Sicut esse rationale non tollit esse animale, sed coarctat & restringit tantum ad certum gradum esse animalis. Sic ergo oritur forma è potestate materiæ universali, quatenus particulari ad talem & talem formam recipiendam est determinata, & per alterationes competentes sufficienter elaborata. Nec potentia particularis universali superveniens est accidens materiæ aliquod, realiter diversum ab ejus essentiâ: Sed arctior & determinatior modus generaliori superveniens: Vt forma canina esse animali superveniens. Et à parte rei spectando est ipsa res, quæ est materia: quamvis à parte nostri conceptus eam ut attributum aliquod & superadditum essen-*

*tiæ*

*tia materiæ spectemus. Conf:* dec: 1. misc: d. 4. th: 29. *&* Casum in epit: Phy: Aristot: c. 4. *Sic non fient formæ ex accidente, sed ex ipsâ materiæ essentiâ taliter & taliter se habente ac dispositâ, quod & credibile est, & naturali rerum generationi eductioniq; conveniens. Vanum hic est, regerere, modum esse non Ens, cum* Sperlin. c. I. p. 14. *Nam* πῶς *id dicitur à Scholasticis, non* ἁπλῶς *; nec est potentia materiæ modus strictè dictus, ut unum, verum, in ente, sed analogicè: Nec penitus absurdum est, dicere, formas oriri ex non ente sui ipsius, i. e. ex non formis, etsi non ex nihilo subjecti.* V. t. 9. *Conf.* Raconis d. 2. Phys: s. 3. a. 2.

16. 2. Si formæ *fiunt ex potestate materiæ, & potestas illa est ipsa materiæ essentia, ergò fient ex materiâ, ut causâ & constituente, & consequenter erunt materiatæ, i. e. quantæ, corporeæ, & divisibiles: Omne enim materiatum est quantum & corporeum. At posterius est falsum, & contra communem Aristotelicorum sententiam, qui formas indivisibiles, principia corporeorum, & quidditates vocant, non corpora, non quanta, non materiata. At Indivisibile nequit fieri è divisibili. E. nec tales formæ ex potestate materiæ fieri possunt.* ℞. 1. *Ex* materiâ *aliquid dupliciter fieri dicitur. 1. Ut causâ & constitutivè, Sic quod ex materiâ fit, materiatum est, ut statua ex ære, lapide, facta: compositum ex materiâ & formâ ut principiis essentialibus constitutivis. 2. Ex continente potestativo & eductivè, quod in potestate ejus continetur, & per commodas dispositiones elicitur. Sic quod ex materiâ per eductionem elicitur, materiale quidem est, materiatum tamen non est, non enim ex eâ est, ut corpus & quantum quid est, sed ut potestatem alicujus in se habet, quod inde educi potest. Ita formæ materiales fiunt ex materiâ, non priori modo. Non est causa formarum materia, sed subjectum potentiale continens: non fa-*

*cit*

*cit formas, sed virtutes in se habet, & ex se educi à generante per virtutem plasticam per justas alterationes patitur. Sic Spiritus Cinnamomi continetur in cinnamomo, ut suâ materiâ, ex cujus potestate per artificem & justas dispositiones elici potest, & tamen non est naturæ corporeæ, crassæ, ligneæ vel corticeæ, ut cinnamonum est, sed Spiritualis, itaq; subtilis, ut ferè visum effugiat. Nec dices, Spiritus est cinnamomatus, lignatus &c. Sed cinnamomeus, è ligno eductus.* 2. Etsi *potestas à parte rei sit ipsa materia, differt tamen ut modus & habitudo ab re, cujus est. Et sic non statim sequitur, si ex potentiâ fiunt, quæ est ipsa materia, E. sunt materiatæ. Tùm hoc sequeretur, si potentia esset ipsa materia & quà rem, & quà omnem rei modum, quod quicquid sic ex potestate materiæ fieret, & materiale & materiatum futurum esset. At potentia modo ad minimum à materiâ differt.* 3. *Te* fieri *est ambiguum. Si* strictè *sumatur, pro generari aut effici, ita formæ non fiunt ex potestate materiæ, i. e. generantur vel efficiuntur, sed educuntur & emergunt. Composita propriè fiunt, generantur ex materiâ, & sunt materiata: Formæ exurgunt & educuntur, præmissis sufficientibus alterationibus. Si* latè, *pro quolibet, quod simul in composito incipit esse, per quemcunq; modum, ita fiunt ex materiâ, non ut materia constituente, sic esse corporeum haberet, sed ut possibilitatem educendæ formæ in virtute sui continente: non ex materiâ, ut corporeum & quantum quid est, sed ut virtute seminali, in quâ latent rerum materialium formæ, instructa & fæcundata est. Unde materiales dicuntur tales formæ, materiatæ non dicuntur. Fiunt in materiâ, ex cujus potestate educuntur, non ex materiâ.*

17. 3. Si formæ *eliciuntur ex potestate materiæ. E. materia erit omnium causarum præstantissima, utpote quæ jam formam in virtute suâ contineat, quæ est nobilissima causarum.*

*Sed*

*Sed posterius falsum, quia materia abjectissima inter causas & minimæ efficaciæ. E. & prius.* ℞. *Negatur consequentia Majoris. Tùm hoc sequeretur, si actu primo & ipsâ perfectione materia formam in se contineret, ut Chymistæ volunt. Sic esset præstantissima causa, haberet enim duo actu in se, materiam & formam. Sed ex eo, quod potestate habere dicatur formam, non sequitur præstantia. Hæc enim colligenda ex eo, quod actu & expreßè inest: at forma non actu inest ante generationem, sed inesse saltem potest, & per varias alterationes tandem educitur. Et sic notatur potentia passiva ad formam in materiâ. Hæc potentia quia ens debile & infirmum est, majorem præstantiam materiæ præ alijs causis conciliare nequit. Quomodo corium non est præstantius auro, quod formam calcei à sutore posit recipere, quam aurum recipere non potest, quia hæc receptivitas est potentia saltem passiva, quæ majorem præstantiam inferre non potest. Sic cera non est præstantior auro, quod formam sigilli imprimendo recipiat, quam aurum sibi imprimi ob duritiem non patitur.*

18. 4. Nihil *formæ præfuit ante generationem in materiâ. Nam generatio est novæ formæ introductio. E. nec potuit ex materiâ educi, & sic formæ creabuntur ex nihilo, & non erit generatio. R. Nihil præfuit actu & apertè, benè potestate & obscurè, & hoc è potestate in actum apertum & exertum elici potest, & hoc est generari. Creari est ex nihilo fieri, ut subjecto, in quo nullâ potentiâ passivâ contineatur. Sic formæ non creantur, quia in potestate naturali passivâ materiæ continebantur. Sic rosa in potestate fruticis latet tempore verno, ut accedentibus sufficientibus elaborationibus tempore æstivo ex potestate illâ à sole ejusq; calore educi possit.* 5. Datur *materia prima, quæ seminarium & commune subjectum omnium materiarum particularium. E. & danda forma prima quæ omni-*

 mni-

*nium formarum particularium sit seminarium, Et sic ab illâ formæ in materiis orientur. R. Est dispar ratio. Materia prima est danda, ut ultimum resolutionis subjectum detur, in quod aliquid resolvi possit, ne eat in nihilum, à quo natura abhorret: Forma prima non est danda, quia formæ non resolvuntur in formas, sed in materiam ejusq; potestatem, ex quâ sunt eductæ. Materia prima est indifferens & receptiva quarumlibet formarum: forma determinat & restringit ad certam entis speciem: sic non posset omnes formas recipere, si jam suâ propriâ formâ informata esset. Recipiens enim denudatum esse debet à forma recepti, & intus existens prohibet alienum.*

*19.* 6. Deus *jussit res creatas se propagare & multiplicare,* Gen: 1. v. 11. 12. 22. *E. generantia etiam formas per multiplicationem propagare poterunt vi jussi divini, & non opus erit istâ formarum eductione. R. Jussæ sunt creaturæ se propagare, sed ordine modoq; generationi naturali conveniente. Id progagandum actu, quod propagari potest, Quod est corporeum quid: id potestate, quod non actu, sed potestate propagari potest, quod est formarum. Hoc ipse textus* Gen: 1. v. 11. 12. 20. *docet, ubi ex terrâ emerserunt herbæ, arbores, semina, quæ in potestate terræ latuerunt. Ex aquâ pisces & aves, quæ in potentiâ illius latuerunt. Postea jussa sunt animalia se propagare.* v. 22. *sed modus propagationis non additur, utrum actu formas q. per decisionem à suis formis cum materiâ propagare debeant, an potestatẽ ad recipiendas educendasq; formas in materijs communicare debuerint. Ad utrumq; enim propagatio illa est indifferens. Etiam Homines jubentur se propagare.* v. 28. *Nec tamen ullus dicet, humanas animas actu primo in semine humano esse, ex quo postea emergant actu secundo. Hoc enim nobilitati, immortalitati & spiritualitati animæ rationalis parum conveniet, ut* dis: sequente *ostendetur.*

*20.* 7.

20. 7. Generans *univocum si non formam actu cum materiâ suppeditet, non potest speciem sibi similem generare dici, aut eam propagare. Quia sola materia non facit speciem, sed forma cum materiâ. At generantia univoca dicuntur species suas generando propagare. E. & formam actu in semine, cujus beneficio propagatio fit, communicare oportet.* ℞. *Ut generans speciem generare dicatur, oportet ut forma actu sit in materiâ, sc.* constituto jam composito, *non autem constituendo. Ut compositum actu sit constitutum, oportet & materiam esse, & actu formam illi inesse. Quia sola materia non facit compositum, sed forma cum materiâ. Sed ut compositum fiat constituendum, non opus à generante & materiam, & actu in materiâ formam suppeditari: sed satis est materiam dari, cum potestate ad similem formam competente tempore per sufficientes elaborationes recipiendam & educendam. Ea ubi ex debitâ materiâ emerserit, generans suam speciem genuisse & propagasse dicitur, etsi primitùs forma in potestate materiæ latuerit, quæ per alterationes tandem emergens suæ materiæ juncta speciem & compositum constituerit. Hoc compositum à generante profectum eiq; in specie simile esse dicitur. Ita bos bovem, leo leonem genuisse dicitur. In æquivocâ generatione paulum diversa est ratio. Ibi generans elicit formam è potestate materiæ per commodas elaborationes, sed eductâ formâ & suæ materiæ unitâ fit compositum non educenti simile, sed dissimile. Sic cum Sol ranas ex lacu, scarabæos ex fimo, mures ex quisquiliis educit.*

*21.* 8. Ut se *habent formæ rerum in creatione, sic & in generatione. At ibi actu sunt creatæ. E. & in generatione actu congenerantur. R. Major falsa. In creatione formæ in actu perfectissimo, potestatibus, operationibus, figuris omnibus perfectissimè se habentibus concreatæ fuerunt. Ita homines, bruta,*

*arbores perfectâ figurâ & habitudine sunt creata. In generatione non actu perfectissimo statim res fit, sed imperfectis dispositionibus succedit, donec forma introducatur. Fit ex ente in potentiâ per mutationes ens actu: ex non pullo, cum potestate ad pullum, pullus: non leone, leo, & sic consequenter. Est enim generatio novæ formæ substantialis, quæ antea in materiâ actu non fuit, sed potentiâ tantum, introductio, per dicta* th. 4. *Nec totali & integrâ figurâ generatur leo, canis, sed catulus, leunculus: & continuis accretionibus ad perfectam staturam excrescunt.* 9. Ipsæ *actiones animæ se exerunt in semine, ita semen elaborat, disponit, vivificat, partes efformat, extruit sibi corpus & domicilium, quod postea occupet. E. & ipsa anima actu in semine est agnoscenda. R. Sunt istæ actiones non animæ alicujus per divisionem animæ generantis in semen defluxæ, sed* virtutis formæ seminalis, *Spiritu calidoq; insito pro instrumentis utentis, quæ à generante semini indita est: hæc virtus plastica & formativa ad formam seminis pertinens format, disponit, elaborat, perficit, facitque, ut tandem forma post sufficientes elaborationes & alterationes emergat, educatur, & ex potentiâ in actum completum deducatur. Rectè Philosophus* 2. d. gen. an. c. 7. *Inest in semine omnium, quod facit, ut fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur. Idq; non ignis, non talis facultas aliqua est, sed* Spiritus, qui in semine spumosoq; corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum. *Deinde anima non vivificat semen, sed corpus organicum, ejus enim est perfectio & entelechia, non seminis: & corpus est potentiâ vitam habens, non semen.* 2. d. anim: c. 1. t. 6. *nec vivificabit anima, priusquam ex semine fiat corpus organicum, & desinet esse semen. Ubi perit forma seminis, & succedit forma animalis, plantæ, aut similis.*

*De cæteris rationibus videbimus in discursu.*

*Ex prædicationibus paronymicis parastasin externam, unionem leviculam & adhærentem oriri dicere, et inscitè delirare est, & atrociter calumniari. Attributa Dei de Deo, entis de ente, hominis propria de homine paronymicè in conceptu Logico prædicantur. Ista tamen â parte rei sunt ipsa essentia subjectorum: hæc qui parastaticè inesse homini dixerit, dignus est, qui parastaticè & extraneâ adhærentiâ sit docilis, risibilis, flebilis, & omninò ultimum Arcadiæ pecus merito suo existat.*

*Perinde est dicere, propositiones personales non esse Logicas, quòd sint inusitatæ, ac dicere, syllogismum aliquem non esse Logicum, quod sit Medicus, Metaphysicus, aut de materiâ inusitatâ agens. Sive quid sit Medicum, sive Metaphysicum, sive usitatum, sive inusitatum, sive personale, sive Sacramentale, omnia hæc in Logicis sunt indifferentia, & considerandi modis Logicis subjacebunt. Dices in illis propositiones simplices, affirmantes, puras, modales, essentiales, non essentiales, subjecto prædicatoque constantes, finitas, negantes, utcunque in naturalitate vel innaturalitate res enuntiata se habeat. Scarabæus est animal, & Deus est spiritus, eodem modo se habet propositio, etsi istius subjectum sit ens naturale & vile, hujus supernaturale & eminens.*

*Strictè nimis Logica* χειρτῆς φιλοσοφίας *dicitur: Accuratè* χειρῆς πανσοφίας, & *legitimè organon organων dici meretur.*

*Vera est propositio, Christus est unus: falsa, Christus est unum.*

*Prædestinatio hominum est absoluta ratione meritorum, sed non ratione mediorum & ordinis â Deo prævisi & destinati.*

Ad Ornatissimum & literatissimum Dn. Respondentem

HAud facilis labor est rerum cognoscere causas,
Omnibus & doctè nomina recta dare.
Quærere FORMARUM labor est quoque, quæ sit Origo?
De qua verborum pugna futura brevi est.
Tum tu miles eris studijs addicte Lotichi,
Pierides verà qui pietate colis.
Perfer & obdura: non desere cœpta, sed insta:
Læta tui quondam meta laboris erit.

*Doctissimo Dno. Commilitoni amicitiam & Amorem singularem contestandi causa apponere voluit*

MARTINUS SAMSELIUS Scepusio-Ungar.

---

ESt pars non minima eruditionis
Occultos Φύσεως sacræ recessus
Nosse, & principium omne, rite, rerum
Ac causas sibi cognitas habere.
Quod jam LOTICHIUS probat, latentem
Formam, quæ Esse suum rei dat omni,
Disquirens, Clypeoque Veritatis
Contra hostes solidè tuetur illam.
Ergò vestigijs Avi & Parentis
Insistas, nitido labore pergas!
En! sic non moritura sempiter næ
Famæ gloria te (auguror) sequetur.

*Ornatissimo Dn. Contubernali suo, intimi amoris & amicitiæ testificandæ ergò apposuit,*

Joach: Goldbach Neohusino-Prutenus.

---

CArmina deposcis subitò proparanda LOTICHI,
Carmina, qui possunt, dent: Ego vota dabo:
Ascendas Cathedram, felici sidere, formas
Expugnes, animo, nec dubitante fide.

Aliud.

Contendis Formas, ita non deformis & ipse
Contendas quamvis Ore, nec effigie.
Et tua si externum te forma dat esse LOTICHI,
Te det & internum, dulcis amice, virum.

*Favoris & amoris Ergò Paucula hæc L. Mquè. fecit*

Nathanaël Rosteuscherus
Dantisc: Borussus.

---

NAturam, legem, rerum posuisse parentem
Hanc, animis hominum rite dedisse probis,
Ut nisu tendant ascendere culmen honoris,
Eximiæ ut properent scandere laudis iter.
Cernimus hoc in te, sollers dum disseris arte,
LOTICHI, formæ quæ sit origo, probans.
Vincere præclaros famà modò perge parentes,
Tempore te similem fata benigna dabunt.

*Honoris & amoris sui contestandi gratiâ hæc adjecit*

Johann: Christianus Meusmannus
Gothâ-Thuringus.